

504 DISPUTATIO XLVII.  
ter peccare quia ut docet S. Th. 3. p. Q. 64. a. 6. O.  
*Non est dubium, quin mali exhibentes se ministros  
Christi & Ecclesie in dispensatione Sacramentorum,  
peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreveren-  
tiam Dei & contaminationem Sacramentorum quan-  
tum ex parte ipsius peccatoris ... consequens est, quod  
talo peccatum ex genere suo sit mortale.*

## DISPUTATIO XLVII.

### *De Consensu Contrahentium.*

**Q**uia matrimonium secundum dicta est verus con-  
tractus, quo corpora contrahentium ex pro-  
pria ipsorum voluntate in potestatem alterius tran-  
seunt, hinc matrimonium ut loquitur Alex. III. in cap.  
cum locum 14. de sponsal. & matr. solo consensu con-  
trahitur. Unde fit

### QUESTIO I.

*An matrimonium possit fieri sine consensu & qualis  
requiratur?*

**D**ICO I. *Expressio verborum sine interiori consen-  
su matrimonium non facit. S. Th. in suppl. Q.  
45. a. 4. O.*

*Probatur: Non facit matrimonium, nisi verus  
consensus: quia sine vero consensu non subsistit con-  
tractus matrimonii, atqui consensus solum verbis ex-  
pressus non est verus sed tantum fictus consensus; fi-  
ctus autem consensus non est consensus; ergo non fa-  
cit contractum in foro conscientiae, quod addo: quia  
in foro externo, si quis diceret se fictè contraxisse, non  
facile ei crederetur, undè talis fictè consentiens regu-  
lariter semper teneretur postea verum consensum elicere:  
quia aliàs pari innocenti graviter noceret, quia im-  
pedit illum, tum ne aliud matrimonium contrahere  
possit (Ecclesia enim præsumat prius matrimonium esse  
verum)*

verum ) cum ne ficto matrimonio uti possit, nam ad fictè consentientem accedere est fornicari. Debet autem consensus ille esse plenus & deliberatus: quia ad propriâ voluntate suscipiendam obligationem requiritur deliberatio; sufficit autem tanta deliberatio, quæ in materia peccati mortalis sufficit, ut consensus in eam sit peccatum mortale; hinc ebrius & perpetuò amens non possunt matrimonium contrahere, etiamsi ante ebrietatem vel amentiam habuissent animum contrahendi, nec eum revocassent: quia etsi talis voluntas sufficiat ad suscipiendum v. g. Baptismum, non tamen sufficit ad matrimonium, sed requiritur vel actualis vel virtualis voluntas: eò quod contrahens ipse sit minister Sacramenti, adeoque quando in propriâ personâ id immediatè ministrare vult, debet tunc habere sufficientem usum rationis, sicut minister Baptismi, confirmationis &c. si tamen amens haberet lucida intervalla & illo tempore contraheret, esset validum matrimonium, sed juxta S. Th. in 4. dist. 34. Q. un. a. 4. est illicitum; quia talis non est idoneus ad educandam prolem, quod ab aliquibus limitatur pro casu, quo per alias personas conjunctas proli educationi confuleretur, undè sequitur, semisatos ad contrahendum matrimonium admittendos esse, si videantur sufficienter intelligere ejus naturam & obligationes.

DICO 2. Oportet, quod consensus matrimonium faciens verbis exprimat. S. Th. in suppl. Q. 48. a. 2. O.

Probatur: Homo nequit alteri homini obligari aut alterius obligationem humano modo acceptare per solum consensum internum: quia non possunt moraliter in idem convenire, nisi mutuam consensum percipiant, ergo debet consensus internus verbis formalibus vel æquivalentibus exprimi: cum homines solum exteriora signa intelligant; sufficiunt autem ad valore

rem matrimonii qualacunque signa consensum sufficienter exprimentia, undè etiam surdus & mutus, cum sufficienter de contractu matrimoniali erudiri possit, validè potest matrimonium inire; non tamen surdus mutus & cæcus; quia talis nullo modo erudiri potest.

Sed quid si duo per divinam revelationem cognoscerent inter se consensum, eumque interiori acceptarent? videtur quod inter Baptizatos nullum omnino foret matrimonium; quia matrimonium Baptizatorum, si validum est, semper Sacramentum est; Sacramentum autem debet esse signum sensibile.

Porro hunc tam internum quam externum consensum nequidem Deus supplere potest, ut sine eo fit matrimonium in fieri, quod essentialiter in mutuo consensu expresso consistit, potest tamen Deus ita supplere consensum contrahentium, ut absque eo resultet vinculum matrimonii inter ipsos: quia Deus omnem causam efficientem supplere potest; atqui vinculi hujus causa efficiens est mutuus consensus; ergo Deus ita eum supplere potest, ut si revelaret Mævio, quod dederit illi jus in corpus Titia, & e contra, possent uti conjugio; sicuti aliqui putant contigisse Oseæ Prophetæ, quando Deus iussit Prophetam accedere ad mulierem fornicationis, & ex illa suscipere liberos, Ecclesia tamen vel respublica licet in contractibus quibusdam civilibus aliquando suppleat consensum, in contractu tamen matrimoniali hunc consensum supplere non potest, cum Ecclesia vel respublica non agnoscat se habere dominium nec directum nec indirectum in nostra corpora quoad rationem Matrimonii.

*Nec obstat* cap. is qui fidem 30. de Sponsal. ubi decernitur sponsalia per copulam subsequentem in Matrimonium transire, nec cap. fin. de condit. ap-

posit.

posit, in quo declaratur validum esse Matrimonium initum sub conditione impossibili; cum tamen in his sæpè consensus deficiat; in his enim textibus non definitur, Matrimonium deficiente consensu consistere, contrarium enim dicitur in cap. fin. de sponsa duor. sed ità vehementer præsumitur consensus adfuisse, ut nullam in contrarium admittant probationem, eaque de causâ declarant prædicta Matrimonia valida esse.

Q. 1. Qualiter valeat Matrimonium, si consensus sit conditionatus?

R. Licet communiter debeat consensus esse absolutus, ut contrahentes certi sint statim de valore Matrimonii, nec sint periculis peccandi expositi, si tamen apponatur conditio, eodem modo, quo supra de sponsalibus, ratiocinandum est. Si adjiciatur conditio impossibilis vel turpis sive repugnans sive non repugnans substantiæ Matrimonii seriò, annullat contractum Matrimonii; si verò apponatur conditio de futuro possibilis & honesta, tunc suspenditur Matrimonium, cum ante eventum conditionis non consentiant in Matrimonium; quod si dubium sit, an conditio turpis Matrimonio non contraria seriò an tantum joco apposita esset, in utroque foro judicaretur, quasi non esset apposita, & Matrimonium statim validum præsumeretur juxta cap. fin. de cond. appositis, in quo capitulo et si Pontifex sine distinctione dicat, conditiones turpes Matrimonio non contrarias pro non adjectis esse habendas, adeoque habendum esse, quod Matrimonium statim valeat, dicit enim expressè: *debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi*, attamen illa præsumptio pro foro conscientiæ non tenet, nec valet Matrimonium, quando contrahentes suum consensum expressè alligant impletioni talis conditionis.

Q. 2.

Q. 2. An adveniente conditione Matrimonium  
sublittat sine novo consensu?

¶. Affirmativè : quia omnes cæteri contractus  
initi sub conditione, cã adveniente, statim sunt va-  
lidi, ac si tunc sine conditione fuissent initi ut patet  
ex l. potior 11. ff. qui potiores in pign. lib. 20. tit. 4.  
& l. hæc venditio 7. ff. de contrah. empr. lib. 18. tit.  
1. *Ratio est*: quia consentiens in Matrimonium sub  
conditione futurã verum consensum habet de præ-  
senti pro illo tempore, quo ponetur conditio, con-  
sequenter, si ille consensus non fuerit revocatus,  
censetur esse absolutus & moraliter præsens tunc,  
quando aderit conditio.

*Dices 1.* In cap. super eo §. de cond. appof. lib.  
4. tit. 5. de eo, qui in quandam mulierem consen-  
sit, si pater ejus suum præstaret assensum, respondet  
Urbanus III. *nisi voluntas patris postmodum intercedat,*  
*nequaquam cogendus est ad Matrimonium contrahen-*  
*dum* : ex quo à sensu contrario videtur inferri,  
quod si impleta sit conditio, debeat ille, qui sub  
conditione consensit, de novo contrahere, quod  
est idem ac de novo consentire.

¶. Negando sequelam : quia non voluit sum-  
mus Pontifex declarare, quod non valeat Matri-  
monium ob defectum novi consensûs, sed tantum,  
quod si à conditione non sit expressè vel tacitè per  
copulam maritali affectu exercitam recessum, defi-  
ciente conditione talis consensus non constituat ma-  
trimonium, quæ responsio firmatur ex eo : quod  
in præmissis dicatur: utrum talis conditionatum con-  
sentum præstans sit ad consummandum Matrimo-  
nium compellendus.

*Dices 2.* In cap. per tuas 6. eod. tit. tale Matri-  
monium sub conditione contractum vocatur nomi-  
ne sponsalium ergo consensus conditionatus non  
constituit Matrimonium.

**R.** Cum nomen sponsalium aliquando sponsalia de futuro aliquando Matrimonium significet, ex cit. cap. propter hanc vocem nihil inferri potest, quia tantum deciditur: *quod cum liquido constet, quod post contracta sponsalia (sub conditione, si pater & patruus sponsalibus consentirent) carnalis est inter eos copula subsequuta, pro Matrimonio est presumendum, quia videtur à conditione appositâ recessisse.* Unde minimè sequitur, quod novus conditione purificatâ consensus requiratur, sed tantum, quod consensus ante eventum conditionis fuerit mutatus in absolutum.

**Q. 3.** An ad valorem Matrimonii requiratur, ut impletio conditionis utrique parti nota sit?

**R.** Affirmativè *Ratio est*: quia per signa habentia indeterminatam vim significandi non potest contrahi Matrimonium; atqui propositio, quâ explicatur consensus conditionatus, habet indeterminatam vim significandi, quamdiu ignoratur conditio esse impleta: quia si dicas: *contraho tecum, si pater tuus tantam tibi dotem dederit, ostendis, te consentire in Matrimonium, si pater hoc fecerit, dissentire si non fecerit, adeoque quamdiu ignoras quid sponsæ pater facturus sit, tamdiu determinatè nec consensum præbes aut significas, nec dissensum, nec etiam sponsa potest advertere, an ejus consensum acceptes vel non.*

**Q. 4.** An in locis, in quibus Trid. est receptum, requiratur, ut impletio conditionis innotescat parrocho & testibus?

**R.** Affirmativè *Ratio est*: quia aliàs non possent perfectè cognoscere & testificari de perfectò consensu externo Matrimonii: quippe qui nullus esset, si conditio non impleretur, undè necesse est, ut vel ipsi viderint conditionem impleri, vel ab ipsis

contrahentibus audiant, eam esse impletam: quia contrahentes hoc ipso, quod fateantur conditionis impletionem, significant consensum suum, qui antea erat conditionatus, nunc esse absolutum: conditio enim non præsumitur impleta, donec de eâ constet, porro ut contrahentes Matrimonio uti possint, omnino necessaria est notitia de impletionem conditionis.

Deniquè advertendum, quod parochus non facile debeat permittere, ut sub conditione Matrimonia contrahantur: tum quia hoc parum decet dignitatem Sacramenti; tum quia ex iis facilè lites & difficultates oriri possunt præsertim propter varias DD. opiniones.

### Q U Æ S T I O II.

*An, quomodo & coram quo renovandus consensus invalidus?*

**C**onsensus vel fuit invalidus ob fictionem vel ob aliquod impedimentum inhabilitans, & hoc inhabilitat vel ipsum consensum ut metus, error, conditio, vel inhabilitat ipsam personam consentientem. pro expositione modi quo in his casibus revalidandum Matrimonium & consensus renovandus.

**DICO** *Ex consensu libero illius, qui primo coactus est, non fit Matrimonium, nisi in quantum consensus precedens in altero adhuc manet in suo vigore, unde si dissentiret, non fieret Matrimonium S. Th. in suppl. Q. 47. A. 4. ad 2.*

*Probatur*: ad Matrimonium essentialiter requiritur consensus viri & mulieris verus & validus exteriorius expressus, atqui si consensus metu extortus (idem est de quolibet invalido consensu personarum aliàs habilium & nullo impedimento obstrictarum) ex

parte

parte solius coacti liberè renovetur, alterâ parte  
 dissentiente, non est consensus validus viri & mulie-  
 ris ut patet, ergo debet ex parte alterius consensus  
 in suo vigore manere; an autem debeat esse actu vel  
 virtute tunc, quando pars prius coactè vel fictè vel  
 ex errore consentiens suum consensum renovat, vel  
 an sufficiat, quod persistat habitualiter, in quantum  
 non est per dissensum retractatus: disputatur: fun-  
 damentum sententiæ requirentis novum ex parte  
 utriusque consensum est: quia non videtur prior  
 consensus aliter esse, nisi sub conditione, si & in-  
 quantum alter verè & validè consentit & pro illo  
 tempore, quo alterius consensus exprimebatur, at-  
 qui tunc non erat sufficiens: quia erat acceptatio  
 traditionis nulliter factæ, & traditio facta alteri nul-  
 liter acceptanti; quia revera non consentit, & licet ta-  
 lis quantum est de se validè consentiens alteram par-  
 tem nulliter consentientem tractet velut conjugem,  
 hæc tamen tractatio non efficit priorem consensum  
 validum, hæc sententia velut tutior in praxi ser-  
 vanda est, pro quâ etiam refertur declaratio Gle-  
 mentis VIII. nihilominus opposita sententia videli-  
 cet, quod, si una pars verè & liberè consenserit, nec  
 ullum ex parte personæ adsit impedimentum, tunc  
 sufficiat, quod solus ille, qui consensum invalidum  
 dedit, quando apparenter contrahebatur Matrimo-  
 nium, illum suppleat & renovet, dummodo alter,  
 qui verè & liberè consenserat, intereâ suum consen-  
 sum non revocaverit. Probabilius est ex hac ra-  
 tione: quia altera pars præstitit in debitis circum-  
 stantiis legitimum consensum circa materiam habilem  
 quem consensum moraliter continuat, donec alter  
 ex parte sua verè consentiat, ac ita cum non requi-  
 ratur inter consensum utriusque partis simultas phy-  
 sica, sed sufficiat simultas moralis, videtur tali con-



consensu validum fieri Matrimonium, quamprimum alterius consensus accedit.

*Dixi* : Si nullum ex parte personæ adsit impedimentum : quia quando Matrimonium contractum est nullum non ex defectu consensus, sed ob defectum habilitatis personarum ex aliquo impedimento per Ecclesiam dispensabili inductæ, non sufficit renovatio consensus, quia ille semper manet invalidus ob defectum materiæ, circa quam, sed ad revalidandum Matrimonium potest, & consequenter ad evitanda scandala debet peti dispensatio, potest autem solus S. Pontifex dispensare jure ordinario in omni impedimento jure ecclesiastico introducto, Episcopus tamen per accidens pro solo foro conscientiæ in impedimento Jure ecclesiastico tantum dirimente post jam contractum Matrimonium dispensat, si hæ præcipuè non absint conditiones. Imprimis si adsit gravissima necessitas, ita ut non habeatur tempus vel facultas adeundi Pontificem vel ejus delegatum potentem dispensare. Deindè si impedimentum sit occultum. Denique si Matrimonium sit contractum bonâ fide. Ratio desumitur ex præsumptâ voluntate Pontificis, qui in tanta necessitate non præsumitur voluisse reservare potestatem dispensandi cum fidelibus, utpotè ex qua reservatione potestatis magna & subindè gravissima damna in ejusmodi fideles derivarentur, qui Matrimonium irritum & nullum bonâ fide contraxerint.

Impetratâ dispensatione necessariò renovandus est consensus; cum implicet validum Matrimonium subsistere sine vero & valido consensu, prior autem consensus inter personas inhabiles nullus fuit, ergo post habilitatem factam per dispensationem debet poni novus consensus perficiens Matrimonium, & quidem hic certò non sufficit novus consensus

unius

unius tantum conjugis, qui v. g. impedimentum solus novit, sed requiritur consensus utriusque, sicut aliàs requirebatur ad Matrimonium de novo contrahendum: quia præcedens contractus utpote inter personas tunc inhabiles totus nullus fuit, eum autem consensus novus poni nequeat, nisi utrique nullitas præcedentis Matrimonii innotescat, debet conscius impedimenti alteri parti ignorantem nullitatem ad minus generatim indicare: quia nullus potest efficaciter velle de novo Matrimonium contrahere, nisi sciat aut saltem supponat, antea non fuisse validè contractum, quando tamen gravia incommoda imminerent, si compars fieret conscia impedimenti, sufficeret, quod ab inscio nullitatis impetraretur consensus absolutus de præsentem, quo vellet de facto contrahere Matrimonium, etiamsi non valeret Matrimonium antea contractum.

*Dices:* Talis consensus procedit ex errore, quo pars ignara impedimenti iudicat priorem consentum esse validum; atqui consensus procedens ex errore nullus est; ergo. Et consequenter in omni casu debet utraque pars scire, quod adfuerit impedimentum, quod modò sit sublatum.

*R.* Negando Maj. licet enim talem consentum comitetur error, attamen non est error antecedens afficiens consentum, supponitur enim verè consentire licet habitualiter esset dispositus, ut si sciret priorem consentum fuisse invalidum, de præsentem non consentiret; aliud esset si, error ille afficeret consentum.

**DICO 2.** *Consensus expressus... inter personas legitimas ad contrahendum, Matrimonium facit. S. Th. in suppl. Q. 47. A. 5. O.*

*Explicatur & probatur:* ut consensus ob defectum personarum invalidus renovatus ad matrimonium

sufficiat, debet eo modo exprimi, quo ad contrahendum sufficit, atqui nisi personæ eo tempore sint legitimæ quo contrahunt, non sufficit ille consensus ad contrahendum: cum personæ sint inhabiles, undè cum ex Con. Trident. substantialis Matrimonii solemnitas sit, ut personæ legitimæ consensum suum exprimant coram parochò & testibus, illa solemnitas quoque in revalidatione consensûs servanda est cum hac distinctione: quando impedimentum publicum fuit, aut ad forum contentiosum deductum, aut si periculum subsit, ne in foro externo impedimentum aliquando publicetur, necessariò debet Matrimonium invalidum coram parochò & testibus revalidari. *Ratio est*: quia Trid. exigit præsentiam parochi & testium, qui apud Ecclesiam probare & testari possint, esse contractum Matrimonium validum, ut infra latius dicetur, atqui parochus & testis, qui adstiterunt Matrimonio nulli, si constet vel probari possit nullitas, non possunt testari Matrimonium validè fuisse contractum, ergo ut convalescat Matrimonium, necessaria est forma Trid. nempe præsentia parochi & testium. Verum quando illud impedimentum, ob quod Matrimonium antea contractum fuit invalidum, est omnino occultum, eo impedimento sublato v.g. per dispensationem, licet tutius sit illud Matrimonium renovari solemniter coram parochò & testibus: quia Trid. statuit pro forma substantiali contractûs Matrimonii præsentiam parochi & testium. Attamen attentâ contrarium sustinentium autoritate & ratione Concilii Trident. non videtur esse necessarium, ut illi, qui coram parochò & testibus cum occulto impedimento contraxerunt, in revalidatione Matrimonii rursus adhibeant parochum & testes: quia tota ratio, quæ movit Trid. ad invalidanda Matrimonia

mor  
mo  
talia  
cult  
cler  
pè se  
habet  
cè ren  
ditur  
inval  
renti  
lemn  
moni  
cil. T  
stina  
ta,  
tific  
cti,

D  
car  
sup  
test  
tium  
rò  
plic  
mo  
que  
obje  
obje  
& a

monia clandestina, fuit impedire mala & incommoda, quæ solent oriri ex Matrimoniis clandestinis, talia autem mala non oriuntur ex revalidatione occultæ Matrimonii in foro externo validè in facie Ecclesiæ contracti, imò econtrà gravia scandala sæpè sequuntur, si Matrimonia, quæ publicè valida habebantur, ob occultum defectum deberent publicè renovari; ergo constitutio Trident. non extenditur ad casum illum, quo Matrimonium occultè invalidum revalidari debet, sed ad implendam intentionem Trid. sufficit semel adhibitas fuisse sollemnitates, ut constet Ecclesiæ de contractu Matrimonii, quando constare potest; accedit: quod Concil. Trid. solum voluerit irritare Matrimonia clandestina, quæ ante Concilium erant illicita & prohibita, non erat autem ante Trid. prohibita occulta ratificatio Matrimonii prius in facie Ecclesiæ contracti, sed invalidi ob occultum impedimentum.

### QUÆSTIO III.

*Quodnam sit objectum consensûs?*

**D**ICO *Benè dixerunt illi, qui dixerunt, quod consentire in Matrimonium, est consentire in carnalem copulam implicitè, non explicitè S. Th. in suppl. Q. 48. A. 1. O.*

*Explicatur & probatur:* qui consentiunt in potestatem sive jus ad copulam carnalem, consentiunt implicitè in ipsam copulam carnalem, qui verò immediatè volunt ipsam copulam, in eam explicitè consentiunt; atqui consentientes in Matrimonium, consentiunt in jus ad copulam carnalem, quod proindè est formale & immediatum consensûs objectum: quia illud est formale & immediatum objectum in aliquo contractu, quod explicatur dari & accipi per illum: ut patet in emptione & vendi-

tionem ; sed contrahentes in contractu matrimoniali explicant se sibi invicem tradere Jus in corpus proprium ; ergo hoc Jus est consensus objectum immediatum , ad quod sequitur.

Primò obligatio reddendi debitum legitimè postulatum , de quo supra.

Secundò sequuntur tria Matrimonii bona nempe  
**1.** Vinculum Matrimonii indissolubile , de quo Disput. sequenti & hoc vocatur bonum Sacramenti  
**2.** Obligatio non violandi thorum & vocatur bonum fidei.  
**3.** Obligatio non impediendi generationem & educationem prolis & vocatur bonum prolis.

*Obj.* Si objectum consensus matrimonialis sit jus in corpus proprium ad finem Matrimonii , etiam objectum consensus matrimonialis erit actus matrimonialis , sine quo non potest haberi finis Matrimonii : nempe susceptio prolis ; hoc autem admitti non debet : aliàs enim non fuisset verum conjugium inter Beatissimam Virginem & S. Josephum , qui perpetuò virgines nunquam in opus carnale conjugii consenserunt.

**2.** Contrahentes Matrimonium in ipso contractu Matrimoniali , ut dictum est , non explicitè benè tamen implicitè consentire in copulam & usum Matrimonii , quantum est ex vi præsentis contractus in actu primo & quoad usum Juris : quia qui consentit in translationem dominij alicujus rei , quæ ex natura sua ordinatur ad talem usum , etiam implicitè consentit in talem usum , si non in actu secundo , saltem in actu primo , & quoad jus re illâ utendi , quod Jus vocatur usus Juris ; atqui traditio & acceptatio corporum in Matrimonio ordinatur ex sua natura ad copulam carnalem tanquam medium necessarium ad susceptionem prolis , quæ est finis intrinsecus Matrimonii , ergo etiam in illo consensu  
 matri-

matrimoniali est saltem implicitus & tacitus consensus in copulam quantum ad usum juris, non tamen consensus expressus quantum ad usum facti. Ex quibus

*Sequitur* 1. Quod validus sit contractus matrimonii, quantumvis alter Conjugum habeat expressum animum ingrediendi Religionem: usus enim facti separari potest ab usu juris vel dominio, & sicut validum esset votum Religionis, quantumvis aliquis simul intentionem habeat illud nunquam servandi, ita validus erit contractus matrimonii, quantumvis ex alio capite videl. voto adsit voluntas nunquam consummandi matrimonium vel exercendi actum conjugalem.

2. Quod virgo, quæ perpetuam continentiam vovit, absolute loquendo possit alicui nubere, modo vel ex aliquâ revelatione vel aliunde certo sciat, virum, cui nubit, debitum matrimoniale nunquam petiturum: quia hæc duo invicem non repugnant, dare Deo corpus suum ad perpetuam continentiam, & ejusdem corporis potestatem dare viro, quem certo sciat nunquam corpore usurum.

3. Quod possint duo conjugati ex mutuo consensu perpetuam continentiam vovere: quia enim usus à dominio separari potest, ideo possunt Conjuges potestatem, quam habent mutuo in corpus alterius, in quâ consistit vinculum matrimonii, retinere, & tamen usu potestatis illius per votum continentiae seipos privare.

4. Quod verum fuerit matrimonium inter B. V. & S. Josephum, quamvis enim non habuerint mutuam consensum explicitum in actum conjugalem, ob votum vel propositum perpetuæ virginittatis, habuerunt tamen consensum explicitum quoad usum juris: quia quantum est ex vi contractus matrimonialis ita jus in

suum corpus sibi mutuò tradebant , ut tamen distincta voluntate & intentione actualem usum facti sibi invicem concedere nollent , & ità fiebant veri Coniuges , ut tamen manerent non tantum corpore, sed etiam animo & proposito purissimæ virgines , ex quo ulterius devotè deducitur , quod S. Joseph potuerit dici non tantum nutritius, sed etiam pater Christi: quia enim S. Joseph fuit verus maritus B. V. ideo verum habuit dominium in corpus immaculatum B. V. ut corpus & sanguis B. V. fuerit corpus & sanguis S. Josephi , & consequenter S. Josephus magis fuit Pater Christi , quam vitricus sit Pater privigni : quia vitricus non habet potestatem in corpus matris , quando privignus natus vel conceptus fuit : cum privignus sit filius matris ex alio matrimonio.

#### Q U Æ S T I O IV.

*An & coram quo Parocho debeat consensus fieri?*

**D**ICO. *Qui aliter quam presente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit Concil. Trid. sess. 24. de reform. matr. Cap. 1.*

Vi cuius matrimonium Clandestinum id est inter solum & solam mutuo consensu de præsentis sine Parocho & testibus in loco , ubi Trid. est promulgatum & receptum , contractum est nullum , pro quo hæc potest dari *Ratio* : quia licet spectato jure naturali & divino per se nec invalidum nec illicitum sit matrimonium Clandestinum , tamen per accidens propter innumera incommoda, plurima scandala & plures occasiones peccandi, Ecclesia, cujus jurisdictioni matrimonia fidelium ratione annexi Sacramenti sunt subjecta,

ad

et publicam utilitatem animarum potuit ejusmodi clandestina matrimonia infirmare, & fideles inhabiles reddere, qui ita Clanculò matrimonium contrahere attentant, ut etiam respublica quosdam contractus aut simpliciter ut pupillorum, aut certâ aliquâ solemnitate destitutos ob justam & publicam causam irritat, etiamsi aliàs jure naturali per se spectato nec irriti nec illiciti essent.

Porro circâ hanc solemnitatem Trid. cujus quicumque defectus est impedimentum dirimens, observanda sunt sequentia.

I. Parochus assistens matrimonio debet esse proprius vel utriusque vel saltem unius Sponsorum, proprius autem Parochus est, in cujus Parochiâ contrahentes habent domicilium, aut actu habitant animo vel perpetuò vel per majorem anni partem ibidem manendi; hic proprius Parochus assistit matrimonio validè in-vel extra suam Parochiam ubicunque locorum, quamvis sit interdictus, suspensus, excommunicatus etiam non toleratus, de facto depositus, dummodo retineat titulum & possessionem beneficii Parochialis, imò licet Episcopus interdixisset ex justissimâ causâ assistentiam matrimonii. Cujus hæc datur ratio: quia hæc assistentia non est actus jurisdictionis nec propriè administrationis Sacramenti; cum etiam ab invito vel coacto validè præstari possit, sed est actus testimonii ex juris dispositione ad matrimonii substantiam requisitus; quamdiu ergo manet verus Parochus, matrimonio suorum Parochianorum assistere & auctoritatem præbere validè potest, jam enim contrahitur matrimonium præsentè Parocho servatâ proprietate verborum Trid. sicut autem Parochus matrimonio unius ex Parochianis ità Episcopus vel ejus Vicarius matrimonio unius ex Diocæsanis assistere potest. Demum qui sponsos alienæ Parochiæ sine licentia



proprii Parochi copulat, præterquam quod matrimonio sit nullum, ex dispositione Trid. loc. cit. manet tamdiu suspensus ab officio & beneficio Parochiali, donec absolvatur ab Episcopo Parochi, cuius jus invasit.

2. Vagi tenentur recurrere ad Parochum illius Parochiæ, in qua contrahunt matrimoniū, quia alium certum parochum non habent, ex speciali tamen dispositione Trid. sess. 24. de reformat. Cap. 7. Nullus Parochus assistere debet matrimonio vagabundorum, nisi præmisso diligenti examine & veniâ ab Ordinario obtentâ, si tamen sine tali licentia assistat Parochus loci, licet tantum unus ex contrahentibus sit propriè vagus (id est nullibi fixam sedem habens) validum est matrimonium: quia nullibi est irritatum. militum, sive in castris sive in hybernis degant, proprius Parochus censetur Capellanus Castrensis pro eorundem cura animarum vel à summo Pontifice, Nuntio, vel Ordinario loci expositus & approbatus, quod si similem Capellanum non habeant, aut ille, quem habent, eâ potestate careat, proprius eorum Parochus est Parochus loci, in quo morantur, vel per quem transeunt, eò quod propter continuam migrationem de loco ad locum habeantur ad instar vagorum. Incolæ loci in quo Tridentinum est publicatum, non tenentur adhibere testes & Parochum, si peregrinando divertant ad loca, in quibus Tridentinum non est publicatum, si nempe bonâ fide, non tamen in fraudem legis, illuc diverterint; si autem aliqui migrent ad locum, ubi Tridentinum non viget, ex hâc solâ intentione, ut ibidem clam sine Parocho & testibus matrimonium invicem inire possint, si habitationem verè & seriò non mutent, matrimonium est invalidum. at si eò habitationem seriò transtulerint, quamvis ex solo animo, ut sine Parocho & testibus contrahere possint, matrimonium

ratum

ratum & firmum erit, ut resolvit S. Congregatio Cardinalium interpretum Concilii Tridentini ad instantiam Ferdinandi Electoris Colonienfis, quam resolutionem confirmavit Urbanus VIII. 1672. 14. Augusti.

*Neque dicas* : quod migrans ad locum non publicati Concilii Tridentini, agat in fraudem legis requirentis præsentiam Parochi & testium, consequenter non tantum illicitè, sed etiam invalidè contrahat matrimonium.

*Contra enim est* : quod talis utatur jure suo, quod habet mutandi domicilium, quo mutato non ampliùs subest legi domicilii vi Tridentini irritanti matrimonia clandestina, licet peccet tum ex hac intentione domicilium mutando, tum clandestinè contrahendo.

Demum incolæ loci, in quo Trid. fuit aliquando promulgatum, sed jam nulli Pastores habitant, nisi hæretici vel Catholici Pastores latent, ut reperiri nequeant, possunt validè contrahere matrimonium sine Parocho dummodo adhibeant testes, ut resolvit Clemens VIII.

3. Si Parochus ipsemet matrimonio non assistat potest alteri Sacerdoti quamvis ipse non sit Sacerdos, licentiam dare assistendi matrimonio, quæ licentia dari debet vel voce vel scripto, vel particulariter ad certum matrimonium, aut generaliter ad quævis matrimonia, dando v.g. licentiam generalem administrandi omnia Sacramenta in Parochiâ, quod non sufficiat tacita licentia sed postuletur vel commissio generalis ministrandi omnia Sacramenta, vel si hæc non adsit, specialis & expressa, refertur declarasse sacra Congregatio his verbis : *non sufficit tacita licentia, quæ resultat ex tolerantia*, id est : ex rati habitatione futura Parochi, undè videtur sufficere licentia tacita de præsentibus, cum nempe Parochus videt alium Sacerdotem se præparare & accingere ad assistendum matrimonio, & tamen

non

non resistit, cum facile verbo vel signo posset declarare, quod sit invitus.

Dubitat autem: an is, cui committitur assistentia matrimonialis, debeat esse sacerdos verè, vel an sufficiat, quod communi errore reputetur sacerdos; quod hoc posterius sufficiat, probabile videtur ex hâc ratione: Ecclesia defectum juris humani exigente communi bono supplet, quando adest error communis cum titulo colorato; atqui si Parochus concedat licentiam assistendi matrimonio illi, qui communi errore reputatur esse, sed verè non est sacerdos, adest error communis cum titulo colorato, est etiam defectus sacerdotii tantum defectus juris humani, & bonum commune exigat, ne talia matrimonia sint irrita; ergo videtur similis assistentia ad valorem matrimonii sufficere.

4. Eâdem necessitate, quâ ad matrimonium requiritur assistentia Parochi proprii, requiritur etiam præsentia duorum vel trium testium, non præscribuntur autem ullæ certæ qualitates horum testium, nec ullum hominum genus repellitur à testimonio hoc ferendo; hinc testes idonei sunt reputandi, quicumque ex se aliquod testimonium dare possunt, licet in aliis commerciis à testando repellantur: ut impuberes, fœminæ, consanguinei, infames. Præterquam autem quod matrimonium sine duobus saltem testibus contractum sit invalidum, ut nequidem vim sponsalium de futuro habeat ex declaratione S. Congreg. Parochus vel alius de licentia ejus, qui assistit matrimonio cum minore testium numero, item testes qui sine Parocho vel sacerdote matrimonio assistunt juxta cit. Trident. graviter arbitrio ordinarii sunt puniendi.

5. Ad valorem matrimonii requiritur præsentia Parochi & testium moralis ex parte intellectûs, ut ipsi nimirum intelligant & actualiter advertant, quid agatur, ac ita testificari possint, matrimonium utriusque consen-

consensu fuisse contractum, ideo si sponsus vel sponsa facie cooperta nequidem ex voce cognosci possit à Parocho vel testibus, aut ab uno testium, matrimonium est nullum: quia tunc Parochus & duo testes de matrimonio contracto inter tales individuas personas testari nequeunt; e contra non requiritur præsentia moralis ex parte voluntatis: nimirum, ut Parochus & testes voluntariè adsint, seu velint adesse & testificari, dummodo verè adsint, percipiant & testificari possint, ideoque Parochus & testes validè matrimonio assistunt, etiamsi vi vel metu, dolo vel fraude ad locum contractus adducti aut in eo violenter sint detenti. *Ratio est:* quia quamvis ex parte voluntatis sit repugnantia, dummodo adsit sufficiens advertentia ex parte intellectûs, adest totum, quod requirit Tridentinum. Neque ulterius requiritur, ut Parochi aliive testes ad assistentiam sint vocati vel rogati, sed sufficit, si casu interveniant contractui matrimoniali v. g. Convivii, confabulationis aut alterius negotii causa, adfertur tamen aliqua declaratio Cardinalium resolvens, Parochum ita debere interesse matrimonio (idem est de testibus) ut appareat ipsum hâc de causâ fuisse adhibitum, tunc autem adhibitus intelligitur Parochus causâ matrimonii, quando ex circumstantiis dignosci potest, contrahentes voluisse uti illius Parochi præsentiam in ordine ad matrimonium contrahendum, licet ex aliâ ratione Parochus vel testes essent præsentibus v. g. si invitati fuissent ad cœnam, si per vim aut dolum fuissent adducti ad locum, in quo sunt contrahentes, imò si casu fortuito per plateam transiret Parochus, & contrahentes ipsum compellerent ad audiendum vel videndum, quid ageretur, sufficienter fuisset adhibitus ad contractum matrimonii, secus est, si Parocho casu transeunte contractus fieret, ita quidem, ut ille cerneret quid ageretur, nullatenus

latenus tamen ad assistentiam vel rem videndam iavita-  
retur.

**Q. 1.** Quid in hâc parte sentiendum de matrimoniis  
hæreticorum vel in locis hæreticis contractis?

**R. 1.** Ex declaratione S. Congregationis ad Episcopum  
Tricaricensem tunc sedis Apostolicæ nuntium  
anno 1615. ubi decretum cap. 1. de refor. matrimo-  
nii sess. 24. non est publicatum, valent matrimonia  
contracta absque observatione formæ à Concilio præ-  
scriptæ, publicatio autem præsumitur facta, ubi  
decretum Concilii in Parochiâ aliquo tempore fuit ob-  
servatum.

**2.** Hæretici quoque, in quorum Parochia decre-  
tum dicti capituli primi est publicatum, tenentur talem  
formam observare, alioquin illorum matrimonia abs-  
que forma Concilii, quamvis coram ministro hæreti-  
co aut magistratu loci contracta, nulla sunt & ir-  
rita.

**3.** Ubi constat decretum Concilii esse observatum,  
sed Parochialis Ecclesia proprio Parocho caret, & Ca-  
thedralis itidem Episcopo, atque Capitulo, habentibus facultatem à Concilio alium sacerdotem ad id de-  
legandi, nullusque alius ibi est, qui vices Parochi vel  
Episcopi subeat, matrimonium absque præsentia Pa-  
rochi contractum valet, servatâ tamen in eo, in quo  
potest, formâ Concilii nempe adhibitis saltem duo-  
bus testibus.

**4.** Si exstet quidem Parochus & Episcopus sed nul-  
lo constituto Vicario uterque metu hæreticorum lateat,  
ita ut vere ignoretur, ubinam sint, vel eodem metu à dioc-  
cesi absint, nec ad alterutrum sit tutus accessus, vali-  
dum est matrimonium contractum absque forma Con-  
cilii, adhibitis tamen, ut dictum, duobus testibus,  
his tamen declarationibus non obstantibus sustinent  
plures Theologi Germani, matrimonia hæreticorum

vel

vel uni  
dicante  
locis,  
hæretica  
Ecclesia  
omnia ill  
contradi  
& ne hæ  
cilio,  
compell  
bus con  
Q. 2.  
matrimo  
R. 1.  
Paroch  
moniu  
materi  
cum u  
Conci  
Quod  
Cland  
quitur  
centio  
quam  
men si  
Dubio  
contr  
monia  
2.  
à prop  
que Pa  
chiis,  
quâ ten  
veri vel  
vis ex fi

vel unius Catholici cum hæreticâ contracta coram prædicante Pseudo - Parocho unius ex contrahentibus in locis, ubi tolerantur per pacem publicam Parochiæ hæreticæ, esse valida ex tolerantia & dissimulatione Ecclesiæ ob plurima mala, quæ aliàs sequerentur, si omnia illa matrimonia, quæ quotidie sciente & non contradicente Ecclesia contrahuntur, essent invalida, & ne hæreticorum conversio reddatur notabiliter difficilior, dum viderent ad fidem Catholicam conversos compelli ad denuo coram Catholico Parocho & testibus contrahendam.

Q. 2. Qualiter denuntiationes vel proclamationes matrimonio sint præmittendæ?

R. 1. Peccant mortaliter tam contrahentes quam Parochus assistens, si absque denuntiationibus matrimonium contrahatur, nisi fuerit dispensatum: quia materia præcepti est gravis & adest intentio obligandi: cum utatur Concilium verbis præceptivis, motivum Concilii præcipientis etiam est grave, dum dicitur: *Quod Synodus gravia peccata perpendat qua ex eisdem clandestinis conjugis ortum habent.* Ibidem profequitur: *idcirco sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhaerendo præcipit &c.* quamvis autem talia matrimonia sint illicita, non tamen sunt invalida, ut enim iterum dicit Concilium: *Dubitandum non est, Clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit.*

2. De rigore Trident. debent fieri denuntiationes à proprio contrahentium Parocho, & quidem in utrâque Parochiâ, si sponsi sint ex duabus diversis Parochiis, & consequenter debent fieri in illâ Parochiâ, in quâ tempore denuntiationum ita habitant, ut ratione veri vel quasi domicilii sint de facto Parochiani, quamvis ex fine Tridentini, ut videlicet facilius detegantur impe-

impedimenta debeant etiam denuntiationes fieri in illâ Parochiâ , in quâ ultimò diutius habitârunt contra-  
hentes: cum in illâ Parochiâ faciliùs impedimenta de-  
regi possint, quod videtur esse conforme cap. fin. de  
Clandest. desponsat. lib. 4. tit. 3. desumpto ex Con.  
Lateranensi, in quo dicitur: *Statuimus, ut cum  
matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Pres-  
byteros publice proponantur competenti termino prescri-  
to: ut intrâ illum, qui voluerit & valuerit, legiti-  
mum impedimentum opponat, & ipsi Presbyteri nihilo-  
minus investigent, utrum aliquod impedimentum ob-  
sistat.* Attendendum igitur est ad consuetudinem  
Dieceesium vel Christianitatum, cum alicubi denun-  
tiationes fiant in loco originis, alibi in loco, in quo  
de facto habitant, alibi in loco, in quo ultimò diutius  
habitârunt.

**Q. 3.** Quando denuntiationes hæ omitti pos-  
sunt?

**R. 1.** Si legitima obtenta sit dispensatio, quam  
dare ex justâ causa potest quivis ordinarius, ut matrimo-  
nium vel sine omni denuntiatione vel cum unâ tantum  
contrahatur vel etiam ut post matrimonium contra-  
ctum denuntiationes fiant Trident. sess. 24. cap. 1.  
nomine autem ordinarii intelligitur Episcopus, ejusdem  
Vicarius Generalis in Spiritualibus: cum dispensare  
in denuntiationibus pertineat ad jurisdictionem vo-  
luntariam Episcopi, & omnes Prælati Ecclesiastici juris-  
dictionem quasi Episcopalem in aliquo territorio exer-  
centes; justæ autem dispensandi causæ reducuntur ge-  
neraliter ad notabile damnum sive corporale sive spiri-  
tuale, quod timetur v. g. malitiosum impedimentum,  
infamia, gravis erubescencia in personis disparis condi-  
tionis vel ætatis; & ad notabile commodum, quod justè  
obtinebitur, si vel omittantur vel postponantur denun-  
tiationes.

riatione  
buntur  
2. C  
bonum  
te Paris  
niam, a  
pediendu  
rochus r  
circumst  
tiones.

Q. 4.  
gationem  
hentium

R. 1.

intra 4

proclat

quia fa

vum i

denun

tum,

illud 6

gravif

non o

blicum

2.

do ma

proles

qui Fil

tionib

imped

timæ c

mitur e

ter con

cum in

reform.

III.

tiationes, quo matrimonio jungendi aliàs privabuntur.

2. Quotiescunque dispensatio est necessaria aut ad bonum prolis legitimandæ: ut in periculo mortis ex parte Patris Matre imprægnatâ, aut ad evitandam infamiam, aut quia matrimonium aliàs malevolè est impediendum, si ordinarius adiri non possit, licitè Parochus matrimonio assistit, declarando, quod in his circumstantiis non sit obligatio ad prævias denuntiationes.

Q. 4. Quam inducunt proclamationes factæ obligationem, & quæ pœna sine proclamationibus contrahentium?

R. 1. Factis Proclamationibus tenentur proclamati intra 4. menses matrimonium contrahere, vel novas proclamationes petere, ut declaravit S. Congregatio: quia facilè contingere potest, ut interea temporis novum impedimentum contrahatur; deindè post factas denuntiationes quivis manifestare tenetur impedimentum, si quod sit inter contrahere volentes, etiamsi illud solus sub naturali secreto sciat, dummodo absque gravi suo incommodo id facere possit: quia secretum non obligat cum præjudicio tertii & in damnum publicum.

2. Pœnæ ob omittas denuntiationes sunt. 1. quando matrimonium ex ignorantia impedimenti est nullum proles ex eo concepta est legitima cap. ex tenore 14. qui Filii sint legit lib. 4. tit. 17. sed si aliqui sine denuntiationibus cum impedimento contraxerint, licet ignorent impedimentum, tamen proles indè secutæ sunt illegitimæ cap. fin. §. 1. de Clandest. desponsat. quia præsumitur esse ignorantia affectata. 2. Conjugibus taliter contrahentibus est adempta spes dispensationis, si cum impedimento contraxerunt Trident. sess. 14. de reform. matr. cap. 5. *Non enim dignus est qui Ecclesie be-*



nignitatem facile experiatur, *cujus salubria precepta temerè contempserit.* 3. Taliter contrahentibus condigna pœnitentia est imponenda, & sacerdos Parochialis aut quilibet etiam regularis, qui talibus matrimoniis interessè præsumperit, per triennium ab officio suspendendus & gravius est puniendus, si culpæ qualitas id exegerit cap. fin. cit. §. 2.

## DISPUTATIO XLVIII.

*De Indissolubilitate Matrimonii.*

**P**RO indissolubilitate matrimonii explicandâ præmittitur divisio, quâ matrimonium dividitur in legitimum, ratum, & consummatum, legitimum est quod juxta leges civiles est contractum, quale est inter infideles, in quibus reperitur præcisè contractus Civilis matrimonii secundum legitimam formam celebratus; ratum est contractus matrimonii per Sacramentum Baptismi firmatus licet nondum sit consummatus per copulam carnalem, & solum inter fideles reperitur prout loquitur Innoc. III. in cap. quantò 7. de divort. *Et si matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum & ratum existit.* Consummatum est, quod completum est per copulam aptam ad generationem.

## QUÆSTIO I.

*An matrimonium sit indissolubile ex ipso jure natura & an licitum divortium?*

**D**ICO I. *Inseparabilitas matrimonii est de lege natura.* S. Th. in suppl. Q. 67. a. 1. O.

*Explicatur & probatur Conclusio:* Præterquam quod Deus positivè jusserit, quod matrimonio juncti nunquam debeant ab invicem discedere, sed perpetuò in conjunctione remanere, ut constat tum ex illis verbis primi parentis: *Relinquet homo Patrem suum & Ma-*

*trēm*